



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 12. Papa Tridentinam Synodum confirmare rogatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI.

A. C. 1563.

§. XII.

Papa Tridentinam Synodum confir-  
mare rogatus.

Pallav. l. 24.

c. 7. n. 5.

Sarp. l. 8.

p. 791.

Ex variis, quæ Pontifici suggereban-  
tur, consiliis illud eidem præpla-  
cuisse videtur, vi cujus acta Synodi  
confirmare statuerat: priusquam vero  
huic rei manum admovebat, Burdese-  
rium, & Amulium Cardinales, necnon  
præcipuos Cameræ Apostolicæ Mini-  
stros consultabat, qui una omnes idem  
fieri suadebant. Horum quoque sen-  
tentia accedebat Hugo Boncompa-  
gnus Vestanus Episcopus, postea  
Cardinalis, ac demum Pontifex sub  
nomine Gregorii XIII. renuntiatus, qui  
cum huius consilii æquitatem demon-  
straret, plures alios ad eandem senten-  
tiam perduxit, atque inter alia hæc pro-  
tulit: „Hæc confirmatio Synodo haud  
„majorem addit auctoritatem, quam  
„ceteris Conciliis, eorumque decretis,  
„ac Decretalibus, quarum ingens nu-  
„merus, ac perspicuæ declarationes  
„contra morum corruptionem magis  
„validæ sunt, quam Tridentina decre-  
„ta, quæ in suo proponendi modo mo-  
„derationem spirant: dum vero Ponti-  
„fex Judicibus injunxit, ut pro expe-  
„ctandis suis dubiis ad sacram Sedem  
„recurrerent, quin tamen ipsam Syno-  
„dum

„dum interpretari aggredierentur, a ne-  
 „mine Concilii decreta contra Curiam  
 „Romanam adduci poterunt, cum hæc  
 „ex aduerso per suas declarationes ejus-  
 „modi sanctiones ad Ecclesiæ necessi-  
 „tates accommodare possit: quia au-  
 „tem Romæ instituta est Inquisitorum  
 „congregatio, cujus officium maximæ  
 „utilitatis est, hinc sua Sanctitas facile  
 „aliam ejusmodi Curiam erigere pote-  
 „rit, ad quam ex omnibus orbis parti-  
 „bus quivis pro dilucidandis suis du-  
 „biis confugere valebit: si enim id ef-  
 „fectus daretur, spondeo, quod nec Se-  
 „dis Apostolicæ auctoritas, nec Eccle-  
 „siæ Romanæ jura per hæc decreta labe-  
 „factarentur, quinimo ea potius pro-  
 „modo, quo hæc media in usum dedu-  
 „centur, etiam inde majus robur acci-  
 „pian. „ Placere Boncompagni rati-  
 „ones, atque Pontifex eo temporis  
 momento integre, ac nulla adhibita ex-  
 ceptione Synodum confirmare statuit.

Sæcul. XVI.  
 A. 1563.

§. XIII.

*Calvinistarum crudelitates post Dro-  
 cense prælium.*

Cum hæc interea gererentur, Fran-  
 cia majoribus adhuc, magisque fu-  
 nestis tumultibus per Calvinistas exagi-  
 tabatur; Colinius enim Maris Præse-  
 ctus, qui capto Condæo Principe horum  
 rebel-

Thu. l. 34. n. 7